

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.


P.L.

115.
129
3000

PROSOPOEIA
EUCHARISTICA
IN

NATALEM
DOMINI AC SALVA-
TORIS NOSTRI
IESV CHRISTI
HEROICO CARMINIS
genere instituta

A
M. CHRISTIANO MOLDENHAUERO
Bernburg. Scholæ Patriæ
Conrectore.



SERVESTÆ
Typis Zachariæ Dörfferi.
M. DC. XIII.

m
qua
at,



107

M. G. S. P. O. P. O. B. I. A.
E. B. C. H. A. R. I. T. A.
N. A. T. A. L. E. M.
D. O. M. I. N. I. C. A. S. S. E. V. A.
T. O. R. N. B. O. R. T. I.
T. E. V. G. R. E. S. T. I.
H. E. R. O. I. C. O. C. A. R. M. I. N. I. S.

M. G. S. P. O. P. O. B. I. A.
E. B. C. H. A. R. I. T. A.
N. A. T. A. L. E. M.

The
M. G. S. P. O. P. O. B. I. A.
E. B. C. H. A. R. I. T. A.
N. A. T. A. L. E. M.





Non ego grandiloquo mavortia praelia versu
Agminibus glomerata canam peditumve ma-
niplis,
Sulphureo ut displosa volet glans plumbea fumo;
Nec quoq; delitias gentilia numina vatum,
Ignivomas Sphyn gas Phlegethonticasq; Chimæras,
Seu sit pube tenus facies, seu tortilem in anguem
Pendeat inflexo sinuata volumine cauda;
Sed te CHRISTE canam, mea spes, mea cura, meum cor,
Te latio sermone canam, mea maxima virtus,
Te vigili pietate canam, pietatis alumnum
Respice, & audenti concede in carmina vires.
Spiritus alme, Patris Natiq; reciprocus ardor,
Huc ades, & Christi mecum cunabula præses
Volve, & feruenti cum religione revolve;
Vos etiam aligeri juvenes, superumq; ministri,
Angelicâ pietate chori, vos alloquor, ô vos
Este duces mihi, dum ingenii pro viribus ipsum
Raptat amor Bethle. natum describere Natum,
Vos me sublimi sistetis limine vectum
Avia per superum loca & invia, plena favoris
Planaq; quærenti monstrabitis, alite gressu
Nubivago summum placet æthera rumpere cantu.
Tu quoq; nata Jovis plectro citharaq; resumta
Contrahe concordēs nervos, sacroq; canore
Pieri docta racemiferi Jordanis ad undas
Sionium cane Diva melos levitate remota;
Quippe Deum, qui principium qui terminus idem est,
Et pudor atq; nefas fuerit cantare prophano
Carminē, vel maculis sedes scelerare beatas,

A 2

Namq;



Namq; ubi fas versum atq; nefas, ibi protinus ecce
Virtutis perit omne decus, vitiq; resultat
Omnis amor, quem sponte sua comitatur & ipsa
Vana superstitio seros captura nepotes.

Est locus Eoas ubi cœmeteria linquens
Vda tridentiferi croceus sol surgit in oras,
Ut verni exoriens species rubicunda diei,
Hortus ibi est, sacra cui Paradisum nomina fecit
Pagina, perpetuo redivivus vere virefcens,
Rore fovens calthas, diversicoloribus halans
Floribus, æterno depingens gramina risu:
Nulla levi dîos latices pede Nympha, nec ullo
Conturbat rostro volucris, nec margine frondes
Arbusti petulans carpit capere ore falaci.
Hæc loca primus homo felicia germine prata
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas
Primitus obtinuit, dubio & procul ista teneret,
Ni vetitos vetita rapuisset ab arbore fructus.
Mente Deo similis, superumq; simillima imago
Primus A D A M fuerat, peccati & criminis expers.
Quem nullum caperet damnum, quem nulla pericla,
Quem non tempus edax, tuq; invidiosa vetustas
Destruerent, quem non præclaro robore Achilles
Frangeret, aut XerXes decumano milite, quem non
Imperii fasces, summorum aut purpura regum
Flecteret, aut ipsos agitans discordia fratres
Constantem à recta vivendi lege moveret,
Aureaq; ut perhibent sacra biblia, tempore tali
Aurea conditio tali sub rege fuisset,
Invidiosa procul lis abfuit, abfuit & vis,
Præliaq; ærisono jacuerunt agmine, belli
Nullus amor, JOVÆ omnis amor, nec læguor & anguor
Huma-

Humanas tenuit mentes, nec terror & error
Nubibus implicuit miseros, & carcere cœco,
Sed fuit ipsa nimis semper studiosa Dei mens,
Intima componens sua scrinia pectoris almi
Ad sacra iussa Dei, præceptaq; sancta Jehovæ,
Omnis ibi generis veneranda scientia, Virtus
Integra, in sano mens condita corpore sana.
Verum ut difficile & visu est lacrymabile, magna
Commoda perraro comprehendere mentibus æquis
Sed (deplorandum) tam præcipitanter anhelos
Luxuriare animos rebus plerunq; superbis,
Cum res nulla adeo firma inveniatur, ut illam
Non tandem expugnet male desidiosa voluptas,
Sit constructa licet circum quasi vallibus atq;
Agminibus munita suis & mænibus altis.
Sic etiam huic homini, dolor! ô dolor! accidit, ille
Delitiis summis summis & honoribus auctus
Quam miserè cecidit, cecidit spes una salutis
Christiadum, humanæ periit malè gloria gentis:
Ah quantæ menti tenebræ objiciuntur, in imo
Quantus corde dolor, quàm in pectore amaro amaror
Delitet, objiciens commissa piacula menti,
Ut dolet, & furiis ut nunc cruciatur acerbis,
Pro reque Martem, & Martis stipendia mortem,
Pro vita, atq; Dei pro cognitione tenebræ,
Et mens implicita est tenebrarum & noctis amictu,
Judicium eversum, nil ni peccata videntur,
Et tandem mortis non evitabile fatum.
Acceptum hoc ferimus vobis, vestroq; barathro
Noctiuagi cætus, summo genus æthere pulsum,
Queis neq; pax, neq; lex, verùm discordia, queis non
Intemerata fides, sed fæda calumnia nomen

Imposuit, queis est damni in satiata libido,
O quam lucifugi violentia sava Draconis.
Talibus in vitæ maculis tantisq; tenebris
Vivitur hoc vitæ quod restat, siccine debent
Omnia perversa naturæ lege moveri.
Verū age quo rapior? quæ, quantaq; quotq; medullam
Exercent querulo suspiria fusa labello?
Quæ mentem tenuere moræ? cur quæso revolvo
Nota Deo, & bene nota piis, ignota prophanis?
Nil facerem irriguis licet insuper ora maderent
Fletibus, & lacrymæ fluerent velut Albidos undæ,
Sive papyriferi septemflua flumina Nili,
Nil profecturis mea littora bobus ararem,

“ Omnia nam certo vivunt obnoxia Fato. ”

INTEREA summus, nutu qui temperat orbem,
Arbiter ætherea cœlorum in sede salubre
Concilium cogit, mortalia crimina quærens,
Jura magistratumq; vocat, sanctumq; senatum
Instituit, medioq; polo loca sancta requirit,
Queis legere arcanas aptum atq; evoluerè causas,
Compositumq; auro rutilo locat ipse tribunal;
Judicis ad solum properatur in æthere toto,
Ipse sed in medio juvenum stipante caterva
Arbiter aligera longè radiantia circum
Sceptra tenet, lateq; diu circum omnia lustrat,
Totus scintillans, totus circum igne tremiscens
Sidereo, radiisq; procul vibrantibus ardens,
Haud secus ac rutili speciosa figura Pyropi
Purior electro, pretioso purior auro
Emicat, aut viridis species nitet alma smaragdi;
Agmine circumstant dextra levaq; frequentes
Angelici cætus, candor, pietasq;, fidesq;.

Astitit

Astitit in dextra, quæ debellare superbos
JUSTITIA, & servare bonos & parcere novit,
Virginis os habitumq; gerens, nova bella moventes
Imperio premit, & vinclis & carcere frenat,
Quæ studia & mores populi plebemq; furentem
Castigatq; auditq; dolos, & munere donat
Promisso innocuos, æquato munere lances
Sustinet, & decus est pace, & tutamen in armis.
Addit se sociam fragrantibus usa capillis
Nympha decus VERI, VERACI pectore virgo
Mendaciis hostis, cui non nisi VERA probantur.
At parte opposita pressis se adungere rebus
PAX pergit, gaudens componi fœdere bellum,
PACI feræq; manu ramum præterdit olivæ,
Nam melior bello est, hæc unica sæpe triumphis
Et sola est potior, pax custodire salutem
Et servare potest cives, & reddere salvos.
Pone subit MISERIS succurrere dextera rebus,
Non ignara mali, sed fatis fata rependens.
Adsunt & reliqui numero sine & ordine sancti,
Confedere omnes linguas animosq; tenentes,
Haud secus ac populo si forte coorta geratur
Seditio, agglomerant multi, atq; injussa sequuntur
Classica, præclarum pietate fideq; videntes
Agminibus coeunt densis, atq; auribus astant.
Ast pater altitonans ubi facta silentia linguis
Altior incedens tales dedit ore loquelas:
 Cælicolæ, coram quæ sit fortuna videtis,
Sors hominum quo fixa loco, qui casus agat rem,
Quàm genus humanum lapsum malè dæmonis astu,
Stat casus renovare novos, stat & ordine primos
Criminis autores inquirere, sumere pœnas.

Qua-



Quare age quæ facili mitis Clementia vultis
Assistis, iussa & nutum observare parata,
Vade, inquam, & volucris super æthera labere gressu,
Hæc primo fer dicta homini, non arboris illi
Imperium vetitæ commissum, haud artibus ullis
Plectendum euadet caput omni labe refertum,
Sed justis pænis & iusta morte piandum,
Non illis tantum imperium, ut sine numine nostro
Omne ausint miscere solum, miscere polumq;
Et nostras tantas irarum incendere flammæ,
Vade inquam, atq; illum tecum huc adducito, causas
Indicet, atq; luat profuso sanguine pænas.
Dixerat, illa cito cœlo se credit aperto
Præpetibus pennis, vacuumq; per aëra tranat.
Primus ADAM quo non facile tunc vilior alter,
Mox animadvertens dubio se carcere mentis
Involui, atq; animi trepidantis nubibus atris,
Ecce trahebatur, resonabant compede crura
Vineta manus ferro, lucemq; & dulcia cœli
Lumina captivus dura intervincta petebat,
Jamq; propinquabat cœlo, mox ante tribunal
Judicis æterni manibus post terga ligatis
Protrahitur, totum corpus sudore madebat,
Horrendos siquidem eventus, horrendaq; lapsus
Supplicia atq; genus lethi versabat acerbum,
Totus & horrebat, sibi nam malè conscia corda
Terribilis tanti sceleris stringebat imago.

Accusatori postquam data copia fandi
Nympha decus vultu submisso humilique pudore
JUSTA petens, tandem sic est affari orsa:
Si tibi iuste Deus placet ulla ex parte verenda
JUSTITIA, ipse (precor, neq; enim intercedere possim
Crimi-

Criminibus tantis lacerata, agitataq; tantis)
Ipse inquam iudex justissimus omnipotensq;
Tela trifurca rotans pestem minitare famemq;
Diluvio cuncta in volve, & mortalia passim
Incipe pestifero latè metere agmina ferro,
Et si qua est cœlo pietas, quæ crimina curet
Talia, persolvas grates, & munera tanto
Crimine digna adhibeto, infinitasq; require
Supplicio æterno scelerato à sanguine pœnas;
Dixerat: hæc eadem petit altera pectore nympha
VERACI insignis VERIQ; ardore per orbem
Immensum celebrata, deditque has ore loquelas:

VERE DEUS, qui dicta probas verissima, veri
Si quis amor superest animis cœlestibus, oro,
Exosus peccata mihi jam vera petenti
Justitiam tribuas, tua verbaq; vera tuere;
En præsens peccator Adam tua jussa superbè
Spernens, noctivagam cæcæ formidinis aulam
Crimine promeritus tanto tantoq; tumultu,
Quem dedit, extensis manibus dum ex arbore fructus
Decerpit vetita, decerptaq; poma voravit.
Quare supplicium peccanti inflige sacrata
Justitia fultum, commissaq; crimina propter
Morti hominem æternæ tractandum expone furentē.

Astabat tacitus, curisq; ingentibus æger
Peccator, terræq; affixus lumina mente
Hærebat tristi, majoraq; damna putabat,
Extemplo subita totus formidine sanguis
Diriguit, steteruntq; comæ, vox ore reclusa est.

Ast parte ex alia pia COMMISERATIO supplex
Procidit ante pedes Jovæ, veniamq; malignæ
Fortunæ petit, & verbis sic fatur amicis:

B

Alme

Alme pater, cuius pia commiseratio finem
Agnoscat nullum, sed secula in omnia durat,
Si quis adhuc precibus locus est, pia si qua voluntas,
Qui peccatoris mortem non expetis, illum
Sed vis conversum salva respiscere vita,
Te peto, ne stricto mecum fac jure, sed usq;
Respice me, miserere mei, summiq; levato
Juris fata modo, (neq; enim commissa negamus
Crimina,) iudicium saltem fac mitius oro.

Huic sese adjungit PAX aurea, nescia belli
Nympha decus, breviter sedato hac paucula corde
Ingemians; Pacem precor o largire benignam,
Nulla salus rixis, veniam succurre precanti,
Talibus orabant, tristi simul omnia luctu
Miscabant, moestis resonabant cuncta querelis.

Interea vinctus pedibus manibusq; ligatus
Hac secum tacitus tristi cum corde putabat:
O mihi si jam se spes ulla aperiret inermi,
Quali laetitia perfunderer? occidit omnis
Atq; absumpta salus nostra est, tamen optima spirans
Sperabo & meliora, feret mihi forte salutem
Arbiter ipse, poli cui parent cuncta soliq;.

Ventum ad supremum est, sententia panditur, & quos
Justitia Judex mortem docet esse malorum
Mercedem, legi nisi plena solutio fiat.

Consternatus homo petit ut Pax aurea tradat
Dogma salutiferum, piaq; ut Miseratio tali
Tempore consilium (quo gratius haud foret ullum)
Suppeditet, sed PAX summis pro viribus omnem
Spondet opem, atq; hominem verbis solatur amicis;
Atq; iterum Jovam accedunt, ac talibus orant:

Alme pater, pater alme, hominis miserere, salutis
Consi-

Consilium nostris inspira mentibus, atq;
Subsidio pollens animis tete inferre nostris,
Tutius ut diræ metuenda pericula mortis
Effugiat miser, & submoto crimine deinceps
Cautior ad primos redeat gens perfida mores.

Hæc illi: at summi patris immemorabilis Icon
Lapsūq; atq; homines nimium miserata misellos
Consilium promens, premere altum corde dolorem,
Spem vultu simulare jubet, jubet esse sereno
Orantes animo, & verbis compellat amicis:
Quandoquidem posita est in me spes unica, & omnis
Vestra salus, generisq; hominum reparatio tota,
Ipse ego vestra nimis miserans incommoda vobis
Ipse salutiferum divino pectore promam
Consilium, auxiliumq; feram miseratus egenos.
Quare agite hinc dicto ruite ocyus, ocyus Euro
Ite, ait, & celeri magnum per inane volate
Remigio alarum, & cœlo vos credite aprico,
Quærite qui justus sit & omnis criminis expers,
Quiq; mori possit propriis ex viribus, atq;
Pro genere humano mortem tolerare cruentam,
Amisamq; hominum generi reparare salutem,
Quiq; salutifera cum majestate supremas
E nece victor ovans rediturum ad luminis oras
Se speret mortis nihil impediens umbris.

Hinc cito præpetibus pennis atq; alite gressu
Ingrediuntur iter, multum terraq; poloq;
Pectoribus dubiis vario sermone ferebant:
Incedunt pariter tristes, ceu forte boves cum
Rusticus amisit, quæsitum protinus illos
Vicinum ingreditur nemus, atq; ignota pererrat
Rura, an forte suis similes per lustra vagari

Conspiciat, plorans subsistit, quæstibus implens
Et nemora & montes, colles mœrore resultant.
Attamen erecti paulum lenire dolorem
Incipiunt, rebusq; aliquam sperare salutem,
Hinc ita Pax fatur, mihi se nonnulla aperit spes,
Solve metum dilecta soror, qui crimine rebus
Auxilium reddat fractis erit unus lesus.

Ventum erat in medium cœli, qua parte per alti
Zodiaci duodena ruit sol aureus astra,
Principio maculoso Aries in vellere fulgens
Occurrit, deinceps adversum surgere Taurum
Cōspiciunt, Geminosq; vident, quos brachia curvans
Insequitur cancer, cancerum leo, virgo leonem,
Attingunt libram, labentia tempora noctis
Aequantem luci, non multum hinc tortilis arcus
Apparet, teretesq; simul celeresq; sagittæ,
Post claro aspiciunt capricornum fidere, quiq;
Virgineam inflectens effundit aquarius urnam,
Hinc pisces subeunt, aries quos fidere juncto
Prensat, & integro fit circulus integer orbe.
Mox dextra levaq; procul flammantibus alte
Luminibus circumspiciunt circum omnia late,
Sidera cuncta vident tacito labentia cœlo,
Noctivagasq; faces cœli flammassq; volantes,
Pleiadas, madidasq; Hyadas geminosq; triones
Flectentem & curvo plaustrum temone Booten,
Post simul Oriona, ratemq;, caputq; Medusæ,
Et cetum lustrant squammis bicoloribus, Aram,
Atq; Ariadnæam sidus cœlestē coronam,
Andromedamq;, hinc fortis equus, celeriq; sagitta
Delphinus pugnans, & Juppiter alite tectus
Conspicitur, reliquoq; alte radiantia cœlo

Sidera,

Sidera, sidereiq; poli septemplicis orbis.
Inquirunt equidem divinâ luce coruscum,
Sed non inveniunt: hîc vatam gloria nulla,
Sive Prophetarum chorus, aligerumq; beata
Sors, vel Apostolicæ patiens tolerantia vitæ,
Horum penè jugo tanto nihil ecce ferendo
Aptum erat, idcirco tristi cum corde recedunt,
Et terram totam circum lateq; pererrant,
Tentantes triplicesterræ percurrere partes,
Europæ, pariterq; Asiæ, Lybiæq; calentis,
Qua tagus auriferis exultat opimus arenis,
Qua Peloponnesus bimari conjungitur Isthmo,
In mare qua Nilus lunæ de montibus ortus
Aegyptum fulcans septena per ostia currit.
Danubium Rhenumq; vident, atq; Albidos undas,
Eridanum Rhodanumq; tenent, Oderamq; salutant,
Errantiq; fluore salam, tum cætera mundi
Fluminaq;, fluviosq;, & amœnos gramine campos,
Præpetibus pennis remeantes undiq; totum,
Circuitum lustrant, redeuntq;, abeuntq; subinde
Si quem forte virum reperirent crimine ab omni
Mundatum, cui mens scelerati criminis expers,
Justum in conspectu nullum, sine crimine nullam:
Jamq; ubi nulla salus miseris superesset egenis
Alloquitur pacem pia Commiseratio blandam
Talibus, & lacrymis gemitus adjunxit amicos:
Chara soror, dilecta soror, Pax aurea, quænam
Ingredienda datur nobis via tuta salutis,
Ordine quo dic, quo ve modo quid restat agendum
Ulterius, lapsis quod possit reddere vitam;
Dixerat, hæc contra Pax; hinc abeamus eamus,
Judicis æterni redeamus ad atria, votis

Supplicibus precibusq; piis fufisq; querelis ,
Confilii autorem rurfum accedamus oportet,
Ille enim folus fortem miferatur iniquam,
Fundamus pia vota Deo, nam vota precesq;
Crede mihi placant effufa hominesq; Deosq;
Sic iterum triftes redeunt, iterumq; falubre
Confilium dantem fic funt affarier orfa :

O qui confilium voluifti jungere noftris
Mentibus, ad tete fatum letale dolentes
Confugimus, votiftua Numina fanta precamur,
Non etenim quenquam qui fit fine labe, ferundo
Sufficiens oneri huic cœlo reperire folove
Poffumus, aft in te noftra eft fpec unica, noftra
Vna falus pofta, & noftri omnis gloria cœtus,
Tu via, tu folus vita auxiliumq; relictis,
Te penes eft omnis vis auxiliumq; juvandi,
Te petimus, nobis fuccurre petentibus ultro,
Te, precibus fi Chriftie locum votis ve relinques,
Laudabunt cœli feptem revolubilis orbes,
Laudabunt Elementa tuum mirata favorem,
Laudabunt homines, laudabunt vefper & ortus,
Lunaq;, Solq;, poloq; orientia fidera fummo.

Annuir omnipotens cœlo miferatus ab alto
Terrigenas, tales dîa dans voce loquelas;
Dux ego vefter ero, veftreæq; falutis origo,
Caufa caputq; boni, pia fpec, pia gloria folus,
His me prime malis oneras pater, ipfe fuperbus
Dulcia de vetita decerpifti arbore poma,
Ipfe luam peccata, luam tua crimina, & ultro
Ibo, & morte mea veterum scelus omne piabo,
Iuftitiæq; fatisfaciam, legisq; furorem
Implebo in medio poftus difcrimine mortis,

Nec

Nec tamen interea mortis terrentibus umbris
Succumbam, aut medio merfus phlegetonte manebo,
Missus ad inferni barathrum irremeabile Ditis,
Ad loca præcipiti anfractu sinuosa, mæandris
Constita, tartaræ genus implacabile sede,
Sed quando terris aderit lux tertia vestris,
Rursus ad æthereas revocatus luminis auras
Matutinus ero, mediq; ex morte resurgam,
Inde triumphalem ducens post funera pompam
Maxima constituam destructâ morte trophæa.

“ *Tanta molis erit lapsis reparare salutem!* ”

Sic ait, atq; hominem solatur compede vincitum,
Spes jubet esse ratas, & peccatoribus omnem
Sponder opem, auxiliumq; suum promittit egenis.
Hic omnes pariter Vates sanctiq; Prophetæ,
Ipsi etiam aligeri juvenes stipante caterva,
Et superi ingenti plausu dant júbila, cuncti
Lætitiq; fremunt, salvatoremq; frequentant,
Exercētq; intus reſeratum gaudia cœlum.
Haud secus ad patrias ubi victis hostibus ædes
Victor ovans remeat spoliis indutus opimis,
Nec mora, concursu fervent loca cuncta strepuntq;
Laudibus extollunt victorem atq; aëra complent
Plausibus, & reducem multo clamore salutant.

Hæc est illa dies cunctisq; fidelibus hæc est
Grata dies, qua nostra quies effulsit Olympo,
Hanc merito cuncti celebramus carmine lucem,
Namq; hæc prima Deum puræ de virginis aluo
(O amor! ô pietas!) in luminis edidit auras;
Hunc proceres, reges, patriarchæ, ipsiq; Prophetæ
Optabant spectare virum, spectare labores,
Lætitiq; ultra solitum conjungere dextras

Arde.



Ardebant, sed sed se pastoribus obtulit illa
Conditio, ut Christum, qui crimina nostra piavit,
Aspicerent coram, & fixis sequerentur ocellis,
Adversosq; oculos atq; oia adversa viderent.
Insuper angelicus pictis exercitus alis
Ad cunas Christi plaudentia moverat ora,
Scilicet ut Christo cantando hominiq; Deoq;
Curarum vacui atque onerum exultemus ovantes,
Damata monstrante viam pecudumque magistris,
Dum vigiles peragunt noctes, baculoque renixi
Lanigeras claudunt pecudes, suavissima Christo
Nec minus interea decantant júbila nato,
Et puerum alterni socio clamore salutant.
Sufficit ipse sibi Christus, Deus almus ut ipse est,
Nascitur auxilij puer indigus, indigus auræ,
Auræq; atq; cibi, cum millia plurima pauco
Pane Deus stomacho latrante cibasset abundè.
Quique creatarum causa unica & ultima rerum est,
Nascitur in stabulo, nec convenientia somno
Mollia fulcra tori membris substernit, & udum
Quo caput acclinare queat non invenit, illi
Fortè soporifero subjecto gramine durum
Ad præsepe fluit de vexo vertice cervix,
Cum tamen & volucris soboli gratissima tecta
Implumi nidum tigno suspendat ab alto.
Luctifonoque puer vagitu nascitur, implens
Vicinas querulis singultibus undique partes,
Scilicet ut miseros solamine fulciat, imos
Erigat, ægrotis medicamina vivida præstet.
Nascitur infirmus, nos ut corroboret, atq;
Magnos ferre mala, & fortunæ subdere colla
Redderet expertes nil nos terrentibus umbris.

Nascitur

Nascitur & pauper tuguri subcespire raro
Pauperis Evandri, demonstret ut ordine certo
Quenq; suo modulo contentum vivere posse,
Nec thalamum tyrio instructum satis esse pyropo.

Inde peregrinis prognascitur ædibus, ut nos
Cœlestem in patriam vehat, atq; in scepra reponat
Fortunatorum nemorum, loca luce perenni
Consita, fideream divini Numinis aulam.

Omnia qui radiis mundi fovet, omnia mundi
Quiq; calore suo nutrit, brumalibus horis
Nascitur, ut gelidas foveat spiramine mentes
Vivifico, & vitæ mortalia munere donet.

Nascitur Herodis frendente tyrannide, ut omnes
Tecto injustitiæ furo atq; tyrannide pressos
Extrahat, inq; polum cum libertate reponat.

Nascitur insidiis Christus comitatus amaris;
Namq; sacerdotum furor illum clamq; palamq;
Excipit, atq; metus, & inexcusabilis error,
Ut nos defendat, nobis si fortè dolosa
Impietas struat insidias aut retia tendat,
Scilicet ex omni numero modo ne quid inausum
Aut quid inexpertum fuciq; doliq; superfit.

Nascitur & justus, nostra ut peccata cruore
Tollat, justitiæq; suæ nos iudice coram
Participes reddat, cum lux postrema refulget.

Primi factorum præcones rustica turba
Pastores fuerant, queis noctu credita parent
Armenta, & patuli custodia tradita campi,
Sic & in hac hominum malè delirante senecta
Inde usq; à primo constructi cardine mundi
Tempora ad hæc constat summum gaudere parentem
Simplicitate pia, quare doctrina Jehovæ

C

Tra-

Tradita per spretos est contemptosq; ministros.

Multa tulit propter se, propter nos quoq; multa
Sæpe tulit, nobis quo traderet omnibus ipse
Argumentum ingens, pacē ut super omnia blandam
Mansueri optemus, discamusq; omnium egentes
Mortales contemnere opes, contemnere honores.

Quisquis es hoc igitur mecum tua pectora tolle
Tempore, pectoribusq; effer suspiria, tendens
Ad cœlum cum voce manus, & gutture ovanti
Sacra recens nato dictalia cantica CHRISTO:

“ Psallite plaudite, cantica dulcia fundite, laudes ”

“ Dicite, nunc omnis det suavia iubila tellus, ”

“ Quicquid enim primus genitor male perdidit, illud ”

“ Morte sua natus nobis bene reddidit infans. ”

Salve vera Dei soboles Mariæq; propago,
Salve hominum veneranda salus, lux aurea salve,
Salve hominum pietas, spes optatissima salve,
Unica fax vitæ, spes intemerata salutis.

Macte nova virtute puer! puer optime salve,
Nasceris intactæ pura de virginis aluo,
Nasceris in mundum, pax nascitur aurea tecum,
Nasceris ut rosei species manifesta diei.

Macte nova pietate puer, puer optime salve,
Nasceris intacta de virgine, nasceris infans
Qui semper fuit est, & erit sine fine, sine ullo
Principio, magni quem machina maxima mundi
Non recipit, quem sola capit cum pectore puro
Intemerata fides, corq; omnis criminis expers.

Macte pia virtute puer! pro talibus ausis
Quid tibi te dignum referam, pro munere tanto
Quas tibi vel quali memorabo carmine laudes?
Fortunate puer, vel opis nihil indige nostræ,

Te

Te circumcingunt dextra undiq; & undiq; leua
Angelica virtute poli radiantis alumni.

Macte pia novitate puer! pro talibus ausis
Non opis est nostræ sat dignas solvere grates,
Te duce si qua manent labis contagia nostræ,
Vix ea vix animæ quicquam mentive nocebunt;
Quin potius scelerum vestigia si qua manebunt,
Irrita peccati solvent formidine cunctos.
Expectate puer, quæ te tam læta tulerunt
Tempora? qui quantum quanti genuere parentes?
Sic mihi sideream sedem, sic cœlica pandis
Culmina, & immundi sic transit gloria mundi.
Tu decus omne tuis, cunctis justissimus unus
Qui fuit, & recti tu servantissimus unus
Nasceris, hinc memori tete pia carmina versu
Adveniente dieq; & decedente sonabunt.
Tu via, vita, salus, veri vis vivida, nostra
Gloria, spes dubiis decus & tutamen in armis.
Respice nos, nostri miserere, precantibus ultro
Auxilio succurre tuo, largire benignam
Terrigenis pacem, atq; animis tete infere nostris.
Belli totus amor cunctis, cupiuntq; voluntq;
Nil nisi bella, duella vocant, certamina quærunt,
Arma petunt, arma ingeminant, arma aspera poscunt
Intrepidi, cæcis mentemq; furoribus implent.
Hinc furibunda cohors dubio coit agmine, vulgus
Ense petit quæcunq; petit, nova ubique paratur
Seditio, & rixis lacerantur & oppida & urbes.
Ense petit quod quisque petit, petit ense Getarum
Dux malus imperium roseis orientis in oris,
Ausoniam pariter mendax doctrina Papatus
Exercet, rerum dominj prisciq; Quirites



Romani bellis variè torquentur & ipsi.

Maçte sacra pietate puer! tu fons & origo
Justitiæ, æternumq; patris de lumine lumen,
Lux de luce micans, dos maxima & unica cunctis
Christicolis, magni celebraris maximus orbis
Conditor, & veri vis maxima, maximus ille es,
Vitæ qui nobis nascendo restituis rem.
Te duce respiciens pietas antiqua labores
Pectora fac subeat renovata, noventur & orbis
Secula, mutato redeat gens aurea mundo:
Salve hominum requies, animarumq; intima salve
Lætitia, hinc facimus nihil, hinc nihil atq; moramur
Insidias carnis, malè sanaq; fulmina mundi
In nos Turca licet denso ruat agmine, & in nos
Tota suas (scelus heu) convertat Turcia vires.

Maçte sacra virtute puer! pro talibus ausis
Multa precum in templo nostro cadet hostia corde,
Quando hominum adversos metuentia nullibi casus
Corda tui sitibunda poli tollemus ad astra,
Perpetuoq; tuas memorabimus omne laudes.

F I N I S.

№ 1996

8

U

ULB Halle 3
 002 063 808



Sh


nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX



B.I.G.

Farbkarte #13

OPOEIA
 RISTICA
 N
ALEM
 C SALVA=
 NOSTRI
HRISTI
 CARMINIS
 nstituta

 MOLDENHAUERO
Schola Patriæ
 irectore.

 EST Æ
 riæ Dörfferi.
 . XIII.

Q

115.
129
3000

